Stanislaus.

Serskowicz Thomae: Melos gratulatorium —

MELOS GRATVLATORIVM.

Ad Solennem Diem D. PETRI,
PRINCIPIS APOSTOLORUM,

Perillustris, & Admodùm Reuerendi Domini,

D. PETRI STANISLAI ORŁOWSKI,

PROTONOTARII APOSTOLICI,
Præpositi Tarnouiensis, Scholastici
Kielcensis, Curati Morauicensis,
Consistorij Cracouiensis Notarij Actuarij,
S. R. M. SECRETARII;

In argumentum obseruantiæ & Gratulatorij applausus,

À

M. THOMA SERTKOWICZ,
PHILOSOPHIÆ DOCTORE & PROFESSORE,

Officioso cultu

DEDICATVM.

Anno Domini 1682. Die verò 29. Iunij.

CRACOVIÆ, Typis VNIVERSITATIS.

In Stemma Gentilitium
Perillustris & Admodum Reuerendi Domini.



Quæ ſolis radios, & amici luminis ingens,
 Pupillâ cernit non titubante iubar;
Hîc volucrum regina ſuas extendere pennas
 Cernitur, & claro Stemmate digna nitet,
Cur tamen hæc volucris, capitis pro vertice ſummo,
 Ætherei nitido ſideris igne micat?
Nimirum ſapiens vbi lux ORŁOVIA fulget,
 Non niſi Stella, Aquilæ debuit eſſe caput.

Stanislaus Petrus de Zakrzow Zakrzowski,
Studiosus Scholæ Poëseos.

Perilluſtri & Admodùm Reuerendo Domino,

D. PETRO STANISLAO ORŁOWSKI,

PROTONOTARIO APOSTOLICO, PRÆPOSITO TARNOVIENSI, Scholaſtico Kielcenſi, Curato Morauicenſi, Conſiſtorii Cracouienſis Notario Actuario, S. R. M. SECRETARIO, Domino & Patrono Ampliſſimo,

Auctor Perennitatem.

C*Laritudo præcellentium animorum, & ſummum in ijs ex virtute, & Sapientia decus, quamuis ſupra omnem ingenij humani captum emineat; mirum tamen eſt, quòd tam facilè in oculos ſpectantium incurrat: vt ab eius contemplando ſplendore etiam imbecilliores pupillæ nequeant contineri.* Perilluſtris & Admodùm Reuerende Domine. *Sub cortino quippe latere, & perpetua nube abſcondi neſcit, quod vera luce corruſcat; patiturquè intuentium lumina in ſe defigi; cum non fulgur, quod perſtringit, ſed quod allicit, & ſerenat, dulce & placidum iubar ſit. Nimirum eadem ſummorum virorum, quæ & ſolis natura, fontem luminis habet; non tantùm propter Aquilarum terſiſſimas pupillas; ſed propter hebetos quoquè, & tenuitatis ſuæ conſcias: æquè Capitolia & montes Palatinos; prout & minima terrarum, valleſq; Terebinthi colluſtrans. Spectatiſſima hæc gloriæ tuæ lux, & nominis claritas,* Perilluſtris & Admodùm Reuerende Domine, *incurrebat iam olim in oculos mentis meæ, trahebatq; dulci inuitamento in venerationem Tui animum hunc; qui nunc ſe Tibi cultu præcipuo ſubmittit: ſed non audebant verecundæ palpebræ eò audacius tolli; quò ferri, & tota in Te conuertere faciem, clariſſimis nonniſi ingenijs licet. Ecce tandem ſidus hoc ſuauiſſimum, quod*

pro Gentilitiæ Aquilæ capite geris, induxit me ſenſim, amabili radiorum tractu; claritudiniquè tuæ, in luce publica ſpectandæ propius admouit; hâc die præſertim auſpicatiſſima; quâ in capite Religionis & Principe Apoſtolorum Divo Petro Tutelari Tuo, lux fidei in Orbe Chriſtiano triumphat. Quanquam enim non meis, ſed ſellectiſſimis quibuſquè euris, & vatibus dicendus, canenduſquè ſis; iuêre tamen etiam conatus mei, ad hoc negotium, in quo aliquid de Te auderent; cùm pro Te agentibus, maxima ſit laus, & dignitas ex Te ipſo. Tanta ſiquidem animi tui præſtantia, tanta nominis celebritas, tanta apud omnes æſtimatio, non eget alia panegyri; niſi quam Tu ipſe meritis, & virtutibus Tuis, ſupra omnem facundiam efformaſti. Ingenio Tuo nihil elegantius, ſuadâ Tuâ nihil cultius, Themide Tua, nihil prudentius, oraculis & reſponſis Tuis in Iure vtroquè nihil exactius, humanitate Tua nihil amabilius; adeo quidem vt Perilluſtris & Reuerendiſſimi Domini Andreæ Grabianowski, *Canonici Cracouienſis, ſummi & incomparabilis viri, prout Sanguis, ita & magni animi Spiritus totus in Te effulſiſſe videatur. Inde virtuti Tuæ honor vbiquè acclinis, inde Regum ac Pontificum gratiæ, inde apud Te conſiliorum promptuaria, iudiciorum Sacraria, inde perfugientibus ad Te, in omnibus arduis Inſulæ Fortunatæ: & hæc omnia veræ ſolidæquè gloriæ plena; cum Aquila Tua Gentilitia, ſupra* Petram *ſolidiſſimam, nidum ſuum poſuerit; quando Tibi in Patrocinium ceſſit, Eccleſiæ Dei baſis & faſtigium* Petrvs. *Ad eius proinde ſolennia Carmen hoc à me Tibi dicatum, eò humanitatis ſinu quæſo ſuſcipe, quò prona animorum in Te ſtudia admittere ſoles: nequè metire auſus hos Pierios, ingenij mei menſurâ exigua; ſed Tua ſublimitate, & nominis gloriâ, quæ etiam inter minimos labores, ſua magnitudine fertur, & ſecum alios velut Aquila Tua Gentîlitia rapit. Vtinam verò, volatus eius, ad ſumma omnia, ſint quàm feliciſſimi, vtinam ad ſublime procedens, meritis & honoribus in Eccleſia I ei magnarum alarum Aquila fiat, ſub cuius pennis ſi mihi quoq; Patrocinio, & gratiâ Tuâ frui licuerit; vota pro Te Superis nuncupare non deſinam; cuius nomen Apoſtolicum geris, ſit Tibi vitæ longeuæ, & gloriæ perennis, Petra & Columna.*

Perilluſtris & Admodùm Reuerendæ
Dominationis Veſtræ

deditiſſimus Cliens,

M. Thomas Sertkowicz,
P. D. & P.

MELOS
GRATULATORIUM.

Mens arsit pridem, votisq; fidelibus icta
Quæsijt, officium Suadæ, cantusq; sonoros;
Perq; Tuum, Laudum pelagus, spatiosa vagari
Expetijt: stabilem purâ spem fronte serenans
Lætior orsa loqui: subitus de pectore terror
Excedat: mœrore genæ saluantur amaro
Dicit: Tu quoniam cultu per motus honoris
Prompta sat obsequij satagis protendere vela,
Internosq; animi stimulos depromere cantu;
ORŁOVIANUS honos quo possit viuere Musis.
Nunc optata refer porrecto carmina vultu,
Hîc Tibi iam propior ratio, se tollit, & aptat;
Sacris dum resonat pulsus clamoribus æther,
Mystica verba sonant, Cœlesti missa Senatu;
Dum geminæ claues populo celebrantur ab omni,
Per mentes hominum PETRUS, qui claue triumphat
Pindarico versu iam, vel laudatur Homeri.
Lætitiæ cum tanta nouæ feruere voluptas
Incipit, ac hymnos cœlesti ferre triumpho
Implicuisse manum juuat his, & vindice metro
Ambrosio cecinisse pium modulamen ab ore,
Rumpere & ORŁOVIæ diuturna silentia laudis.
Verba sonent, sensimq; melos memorabile surgat.
Ad laudes Vir magne Tuas dum Phœbus anhelat,
Vix audet celebrare Tuum Venerabile nomen,
Nomen victuris animis, Cedroq; notandum

Quod dici poſcit cunctis per Carmina ſæclis,
Nempe Tuo ſalijt veniens de nomine torrens,
Et orandi motu rumpit campoſq; patentes,
Theſpiadumq; ſacros fontes, cùm maxima Virtus
Lauſq; Tui cordis Pindum, Cyrrhamq; fatiget;
Non tamen ad Cytharam Te noſtra ſilentia dulcem
Arcano latuiſſe ſinent conamine Phœbi.
Quando tot ex meritis pulcherrima gloria ſurgens,
Clara Tibi poſuit ſummæ faſtigia laudis.
Namq; Tibi virtute pari, doctoq; labore
Ingenium præſtans, vis cùm præcelſa dediſſet
Sanguinis, & magni genij; Tu Cracidos altæ
Palladias turres, & mœnia cara togatis
Intraſti, lauruſq; Tibi conſurgere doctas
Cis frontem niueam feciſti. Sic Tibi ceſſit
Clarus honos, Lechicæq; data eſt Tibi palma Mineruæ.
Iamq; Aganippæos Craciæ conſcendere montes
Veloci licuit pennâ prendiſſe cacumen;
PETRE Tuas redimita comas Phœbea corona,
Ornauit quando, celſis viſenda Cathedris.
Eloquium ſtupuêre Tuum iam publica roſtra,
Dum Neſtor, Cyneaſq; ſimul pulcherrima rerum
Dicere contendis, facunda laude triumphans;
Quando THOMAS per Te Doctor Celſiſſimus Orbi
Enituit, Cathedramq; Tuo ſplendore coruſcam,
In ſumma tenuit facie, Tu nectare dulci
Ora animoſq; tenens hominum ſublimè tonabas,
Herculeiſq; velut retinebas corda catenis.
Inde Tibi plauſus, animorum exinde triumphi,
Nominis inde Tui pretium; dilectus vt eſſes
Omnibus, & quâuis laudum digniſſimus auge.
Sed Themis auguſtis laribus Te Diua popoſcit,
Et ſublime Tibi juris donare tribunal
In ſummo voluit. Tu legum maximus inde
Arbiter, & Cuſtos, doctis oracula votis
Promis; dumq; animos flectis reſponſa ferendo,

Omnia Iuſtitiæ Subſelia rectè coronas:
Æacidas exhinc vincens, Minoes quoq; juſtos
Pænè reluctantes animos componere dictis,
Atq; faces ſæuas odiorum extinguere: Tuq;
Caſibus immenſis, deſperatisq; ſepultos,
Litibus, impendens hominum momenta potentum
Iungere ſciuiſti: veluti diſtantia Cælo.
Ingenij quæſo quænam matura facultas?
Prætergreſſa Tui Conſos, pectusq; refertum,
Nectareo torrente latex ſuauiſſimus oris
Proſilit Herculeo demulcens pectora ritu:
Sæpè Tuum excoctum quænam ſententia ſtaret
Ingenium docuit, Romanas quando Curules,
Conſilio præſtante facis ſuccurrere preſſis.
Sæpè videre licet grauiter ſplendeſcere ſella
Te Areopagitica ſolo candore micante.
Gratantur cuncti ſecum ſubſelia nacto
Magnates, & quos gremio dignantur honores
Excipiunt læti: dulces de pectore voces
Ingeminant nitido, Te expectatumq; ſalutant;
Nobiſcum ſenſus, nobiſcum fœdus amoris,
Nobiſcumq; animis jungas commercia gratis.
Magnus OBORSCIACI Te pectoris, atq; Tiaræ,
Pontificum præcelſus honos, dignatus amore,
Admouit calamo Themidis, fecitq; tot actis,
Centoculum Te Argum, maturum pondere ſenſûs.
Dexteritas præſto eſt, cui ſemper rebus agendis
Ad ſubitos rerum caſus, confuſaq; nunquam.

Nec Cracio Te fama ſolo, nec in Orbe Polono,
Sola tot augmentis Te gratia plena ſecuta eſt;
Romuleis etiam fieres vt clarus in oris,
Atq; Vaticanæ Sedi Tua gloria nota,
Emeruit Virtus, pietas, ſapientia, legum,
Iuſtitiæq; inſignis amor. Sic cenſuit alta
Curia Romani juris, cum Diuus in Orbe
Sarmatico primas caperet jam Cantius aras

 Grande

Grande opus hoc dedit alma Tibi tùm Roma notandum,
Partibus in noſtris, magni dum gloria CANTIÎ:
Surgit honoratis latè ſucceſſibus, & ſe
Infert Auſonijs terris; vt ſurgeret olim
Altiùs, & ſacros tandem prenſaret honores
Diuorum, quibus ecce Craci iam Regia gaudet.
Hic labor æternus, certiſſima præmia geſtis,
Atq; Tibi nomen dabit, immortale per Orbem.
Quid dicam? Regum de Te quis ſenſus, & altæ
Majeſtatis amor, Te quomodo fecerit inter
Nomina clara Virum cenſeri; credita quando
Sunt arcana Tibi, quêis Secretarius audis
Regius, & Trabeæ noſti reſponſa potentis.
Sic Aquilæ veluti latus pernicibus alis
Per Lechiam, Patrioſq; lares, per Sacra Latini
Culmina ſplendoris, per Regum maxima Sceptra,
Pontificumq; animos, incedis plenus honore;
Iamq; tot exedras imples, tot munera celſa,
Tot juris reſponſa refers, grandiq; labore
Nomen & elogium Tibi non mortale mereris.
Quis fructus meritis? curarum gloria quanta?
En referunt Mitram, capitiq; imponere digno
Tarnouiam ſatagunt, bis ſex quoq; templa regenda,
Cælitùs hic directus honos, Tua tecta ſubire
Quæſijt, & Celſæ ſedes Te Præpoſituræ.
Expedijt clarè lucere, hoc culmine lumen,
Lumina non licuit tantæ ſuppreſſa lucernæ
Vt Modio fierent, ſed per faſtigia rerum
Hoc jubar effulſiſſe decet; quo gloria maior
Numinis æterni; tanto de lumine ſurgat.
Felices animæ, quibus hoc conceditur vti
A ſuperis: vitam vt nectant cuſtode ſub illô
Qui promptus metam valeat vos ducere ad Almam.
Felix Paſtorem reperis TARNOVIA tantum,
In quo virtutum præclara monilia cernis
Felix ô popule à Tanto Paſtore regende,

Namq; ab eo ſacer eſt, per pinguia prata ſalutis,
Te propter cibus, & deuotæ alimonia mentis.
Ille Tibi ſpeciem priſci formabit honoris,
Ille dabit vitale decus, quantumq; dolebas
Excubijs orbata Tuis, Paſtoreq; longùm
Heu viduata Tuo, tantùm Tibi gaudia ſurgent,
Applauſusq; Sacri; dum Te pulcherrimus ordo
Ornatam Sponſam faciet, gemmiſq; micantem.
Hîc mihi Theſpiadum curæ, totisq; fatiſcunt
Plectra modis, carmenq; Tibi Vir Magne dicatum,
Ad Tua ſuccumbit victuræ encomia famæ
Hùcne oculos? huc ora feram? defixus vt Orbis
Lechicus: vt pietas, ſapientia, zelus, & ingens
Religionis amor regnant, in pectore tanto;
Dum Clerum ſine labe pio, veneraris honore
Affectu comis dulci, vis prodiga dextræ,
Gratia corde fluit, tum animi clementia dulcis,
Cætera virtutum grandi ſpectanda ſtupore,
Anguſtis non ſe patiuntur claudere Metris;
Ne tamen imbelli cythara tacuiſſe viderer
Hæc cecini tenui modulamine; quando triumphat
PETRVS Apoſtolici celſiſſima gloria cœtus,
Clauiger Æthereæ Sedis, fideiq; Columna:
Hæc inter tanti Solennia Feſta PATRONI
Applauſus Tibi ferre meos deuotio juſſit
Nominis atq; Tui veneratio; quam Tibi toto
Pectore, Caſtalijsq; fero per carmina curis.
Ergo mihi donec fuerit mea vita ſuperſtes,
Te cultu, Cytharâq; meâ, Sacriſq; Camœnis
Non ceſſabo ſequi; colere & modulamine Pindi
Summis accenſere Viris, vitamq; precari
Annis quæ Pyliam poſſit ſuperare ſenectam.
Viue precor, ſeroq; homines, lucemq; relinque,
Viue meris, nitidiſq; micantia ſæcla Pyropis.

Fama Tuum nomen celebret, virtusq; feratur
Altiùs, & ſumma rerum conſiſtat in auge;
Perpetuumq; Tibi ſubſcribant ſæcula nomen.
Totq; ſimul niteant Soles, quot Lumina Phœbi,
Æthereo ſuper Orbe micant, quot flauet ariſtis,
Diua Ceres; pennis Aquilæ quot grandibus vrgent,
Ceruleas nubes; radijs quot lumina figunt,
In ſolis facie ſpectanda quando morantur;
Sic Tua Te volucris, natalibus orta decoris,
Inferat in Solis faciem, ſtatuatq; coruſcum
Te jubar, in Summa Virtutum luce nitere.